



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 32. De Christi apud Pilatum accusatione; & interrogationibus ei
propositis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO XXXII.

DE ACCVSATIONE CHRIS-
ti Domini apud Pilatum, &
huius interrogatio-
nibus.

PUNCTVM I.



VM a vinculum adduxissent a Matt. 27.
IESVM, & tradidissent
Pontio Pilato Presidi, b in Ioan. 18.
Pratorio, ipsi non introierunt
29.
in Pratorium vt non conta-
minarentur; sed vt mandu-
carent Pascha: exiuit ergo Pilatus ad eos fo-
ras, & dixit: quam accusationem assertis ad-
uersus hominem hunc? responderunt & dixe-
runt ei: si non esset hic malefactor non tibi tra-
didissent eum.

PERPENDENDVM hinc primo, quam
dore Pilatus exceperit CHRISTVM Domi-
num, quem vinculum, tanto strepitu, & in die
adeo solenni sibi tradi aduertit: ex his enim
existimauit omnino ipsum insignem aliquem
malefactorem esse: siquidem tali die, & ab
hominibus adeo grauibus vinculus, ipsi trade-
batur. dolebo autem vicem Domini mei, ad-
eod nunc contempti; reuocans in memoriam,
qua n aliter exceperit ipse IESVS c i mulierem, c Ioan. 8. 3.

quam ipsi Scribae & Pharisei, ad eum adduxerunt, in adulterio deprehensam; ut ipse eius causam iudicaret. O Iudex benignissime qui tanta mansuetudine victos excipis, non solum cum sunt innocentes, sed etiam re ipsa reos, eripias illos ab actoribus crudelibus, quomodo cum ipsa sis innocentia, ita toruere & ignominiosius excipi à superbo hoc iudice? tu verè reos accusatores pudore afficiens, cogis, d. *post unum exire*, te tantum scribente de peccatis in terra peccata eorum: cur non etiam tuorum peccata scribis, ut illi pudore affecti, te acculando cessent, & in pace relinquatur? sed misericordia tua adeò est magna, ut, quos peccatorum miseretur, sibi non comparat, sed pro illis pati velit. Libera me Domine à meo accusatoribus, cum tuo sistar iudicio, meque pie excipe, ut per te liberatus, te fruatur in æternum. Amen.

d. Ioan. 8. 9.

II.

DEINDE perpendenda est horum accusatorum superbia, & præsumptio, quam ostenderunt verbis illis: *si non esset hic malefactor non tibi tradidissimus eum*. quali tumētes dicerent: ut hunc credas esse malefactorem satis tibi esse debet, quòd nos Sacerdotes Scribæ, legisque Doctores victum eum ad te adducamus. O Diabolicam superbiam, quam ita malefactores ipsos excæcas! O altissimam humilitatem, quæ supremam benefactorem ita demittis! Ex hac Christi Domini humilitate, qui cum esset omnium benefactor, ab ijs ipsis quibus bene fecerat, haberi voluit.

publi-

publicus malefactor, magnum affectum concipiam, erga ipsam humilitatem: magnæ felicitati meæ tribuens, quòd alijs benefaciens, iudicer malefactor; vt sic meum imiter Saluatorem.

PVNCTVM II.

DIXIT eis Pilatus, si tantus hic est malefactor, vt vos dicitis: *accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum: Dixerunt ergo Iudæi: nobis non licet interficere quemquam* (hoc est eo mortis genere, quam ipse meretur: Nam nobis solùm licet illum lapidare; quæ tamen pœna parua est pro tantis eius delictis) & tunc tria ili obiecerunt.

PRIMUM, dicentes: *b hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, prauâ scilicet suâ doctrinâ. SECUNDVM: & prohibentem tributa dari Casari. TERTIVM: dicentem, se Christum Regem esse, Messiam scilicet in lege promissum, qui futurus esset Rex Iudæorum.*

PERPENDENDA hîc est horum Actorum iniquitas, in calumniis venenato animo contra Christum exquirendis. Planum enim erat, Christum Dominum non cõmouisse aut subuertisse gentem; quam potiùs ad pœnitentiam, & omne virtutû genus pmouebat, aded, vt etiam suis discipulis diceret: *c Super cathedram Moysi, sederunt Scribae & Pharisei, omnia ergo quacungq; dixerint vobis, seruate & facite.* Certum quoq; erat, eum non prohibuisse tri-

d *Matth.* 22.
21.
Luc. 26. 25.
c *Matth.* 17.
26.
f *Ioan.* 6. 15.

buta dari Cæsari, qui dixit: *d reddite qua sunt
Cæsaris Cæsari, & qua sunt Dei, Deo.* Inò imple-
met: e soluit tributum pro se & Petro, et tamen
ad id nō teneretur; nec dixit vnquam, se Regem
esse temporalē scilicet, qualem Romani crea-
bant; qui potiùs, f *cum cognouisset, quod venturi
essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem,
ipse fugit solus in montem, ne fieret Rex; quòd si
Messiam dixit se esse, eius opera id testaban-
tur. Quousque ergo peruenire potuit, falsorum
Actorum audacia & temeritas, quàm ve tales
calumnias, tali innocentia obicerent? & quo-
usque crudelitas progredi potuit, quæ non fa-
taret rabiem suam eo mortis genere, quam
ipsi poterant inferre; sed fictis criminibus, cru-
deliorem ei mortem crucis, videlicet procura-
rare? O ducis IESV, gratias tibi pro tanto si-
lento, in audiendis tantis calumnijs, cum fa-
cile tibi fuisset, eas dissoluere. Concede mihi
Domine, patientiam tuam imitari, & à vitio
odij, quod tales calumnias, contra quem odus
excogitat, me libera.*

g *Ioan.* 18. 33.

HAS accusationes audiens Pilatus, g *intro-
iuit iterum in Prætorium, vt de his delictis IESV
examina-
ret; & incipiēs ab vltimo, quod
gravius esse iudicabat, dixit ei: Tu es Rex Iu-
daorum? IESVS (videns interrogantis can-
dorem) respondit, regnum meum non est de
hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum me-
um, ministri mei vtique decertarent, vt nō tra-
derer Iudæis: nunc autem regnum meum non
est hinc, sicut cætera huius mundi, dixit itaque
ei Pi-*

Pilatus: ergo Rex es tu? respondit IESVS
 tu di. u. quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum,
 & ad hoc veni in mundum, vt testimonium per-
 bibeam veritati: omnis, qui est ex veritate, au-
 dit vocem meam.

CIRCA hoc examen, perpendendæ sunt
 admirandæ sententiæ in ipsius Christi respon-
 sione. PRIMA sententia fuit: *regnum meum*
non est de hoc mundo, & terrenum, sicut sunt
 alia; ideoque non habebat militum appara-
 tum, nec custodiam, nec ministros reliquos,
 sicut terreni Reges; in regnis suis habere con-
 sueverunt. Nec solum dicere voluit, se non
 esse Regem huius mundi; sed neque id quære-
 re, aut vnquam quæsiuisse, sicut accusatores
 calumniabantur.

SECUNDA sententia fuit *tu dicis, quia Rex*
sum ego; sed cœlestis, *quia regnum meum non*
est hinc, sed est regnum alterius mundi, re-
 gnum cœli, & regnum spirituale Ecclesiæ
 ipsius; & quod est consequens subditos etiam
 se habere & famulos, sed cœlestes tamen &
 spirituales, quales sunt Angeli, & iusti, ac fide-
 les, qui in eum credunt: qualis enim est Rex,
 tales sunt eius subditi; & quale regnum est, ta-
 les sunt eius ciues. O Rex supreme h *qui con-*
stitutus est à Patre aeterno Rex, super Sion mon-
tem sanctum eius! Decebat omnino excellen-
 tiam tuam, etiam esse huius mundi Regem, &
 subditos, imò mancipia habere omnes Reges
 terræ; sed tua charitas infinita, mundanæ huic
 pompæ renunciauit, vt humilitatis mihi præ-

I.

II.

h Psal. 2. 6.

beres exemplum; excitares vero cor meum, ut terreno regno contempto, cœleste obtinere contenderem. Fac me, Rex meus, subditum tuo regno dignum, ita animatum: ut calcare velim quicquid æstimat mundus.

III.

TER TIA sententia fuit, *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*, eam docendo, prædicando, & miraculis, stupendisq̄ue operibus eandem confirmando: in quo tria fuerunt eminentia.

Primum, quod nunquam fuerit testificatus aliquid, quod falsum esset, aut mendacium, sed veritatem, nec cuiuscunq̄ue ordinis, sed utilem ad illud regnum consequendum, cuius ipse Rex erat.

Secundum, quod magna vi animi semper se veritatem testificatus, etiam si vita propterea esset exponenda.

Tertium, quod quando veritatis argumentum erat ipsi gloriolum, eam quidem dicebat, non tamen ob suum honorem: sed quia id ab ipso eius officium exigebat, ut veritati testimonium daret. Ad huius Domini imitationem persuadere mihi debeo, me quoque natum esse, & in hunc mundum venisse, ut meis operibus & verbis, testimonium perhibeam veritati, conando semper, ut veritas diuina in eis resplendeat absque mendacij aut fictionis vilius admixtione, etiam si in tali testimonio vitam ipsam amittam.

IV.

QVARTA sententia fuit: *Omni, qui est ex veritate*

veritate, & illam diligit, audit vocem meam; credens quod ego dico, & iis obediens, quæ ego iubeo. Et hinc ego deprehendam, num ad Christi partes, qui veritas ipsa est, spectem; an verò ad factionem Dæmonis, i in quo non est *Ioan. 8. 44*
veritas, quia mendax est & pater mendacij.

IN his omnibus, perpendenda est Christi Domini auctoritas, & quæ in eo relucebat diuinitas, qui inter tot opprobria, non intermisit propter illa Magistri munus. Et, si infelix ille index, has veritates audire voluisset, promptus ipse erat, ad distinctius eum docendum hanc veritatem, sed infelix, etsi insinuauit, se desiderare instrui, interrogans: *quid est veritas;* non tamen responsum expectauit, qui eam audire dignus non erat. O Magister cœlestis, responde mihi intus in corde meo, quid sit veritas, idque fac me firmissimè sentire. Tu, Deus meus, es ipsa veritas, & quidquid à te procedit est veritas. Veritas est tua vita, tua doctrina, præcepta tua, consilia, & miracula, & Sacramenta ipsa tua. Utinam vita mea huic veritati consona semper esset, & *am-*
bularem semper in veritate, do-
nec clarè te viderem in
tua gloria.

k Ioan. E-
pist. 3. 4.



PUNCTVM III.

AVDITIS aded prudentibus Christire-
sponsis, iudicauit Pilatus, IESVM ve-
rè esse innocentem, ideoque secum ex
Prætorio deducens, ad conspectum plebi-
a *Luc. 23. 4.* dixit ad Principes Sacerdotum & turbam
nihil inuenio causa in hoc homine, vt eum ad
mortem condemnem; ac illi timentes, ne
b *Marc. 15.* eum summi sacerdotes in multu, IESVS au-
tem c nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus:
c *Matt. 22.* audis, quanta aduersum te dicunt testimoniu
12. cur nihil respondes? IESVS autem non respon-
dit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur Prae-
ses vehementer.

De silentio
Christi.

IN hoc puncto, perpendendum est altissi-
mum & admirandum Christi Domini silen-
tium, quod non immeritò vehementem Pi-
lato attulit admirationem, tanquam res in-
audita & inuisa in mundo: multa enim in eo
casu occurrebant, quæ humano iudicio, ad lo-
quendum, & sui defensionem aliquid adse-
rendum, illum vrgerent. Nam accusationes,
multæ erant & falsæ, & in re grauissima, &
quæ grauissimè honorem læderent: & ab eis
proponerentur, qui omni exceptione maio-
res esse viderentur, & in eum finem dirige-
bantur, vt propter eas, ad crudelissimam &
ignominiosissimam mortem damnaretur;
ipse quoque iudex eum ad se purgandum, &

aliquid pro sua innocentia respondendū pro-
 uocabat, desiderans liberum eum omnino di-
 mittere, cuius nouerat innocentiam. Quæcun-
 que harum circumstantiam sufficiens erat, ad
 quemcunque hominem permouendum, ut ad-
 dor calumnias responderet, & se defenderet:
 at Christus Dominus noster, perumpens om-
 nia, tacere maluit, quàm vel vnum verbum,
 in sui defensionem adferre: hac ratione infi-
 gnem suam mansuetudinem & patientiã ma-
 nifestans, qua non solum vindictam de calu-
 niatoribus sumere noluit: sed neque de ca-
 lumnia eos conuincere, cùm id fuisset illi fa-
 cillimum. Ostendit quoque excellentem ani-
 mi fortitudinem, re ipsa ostendens, quàm par-
 uis faceret ignominiam, tormenta & ipsam
 mortem; qui nec verbum, quò hæc mala eua-
 deret, respondere voluit: & hoc est, quod Pi-
 latus vehementer admirabatur, debetque
 me ipsum in magnam trahere admirationem.
 Obone I E S V, quam meritò hoc nomen tibi
 tribuitur d *Admirabilis*, qui non solum sis Ad-
 mirabilis in tuis excellentiis, & prodigiis:
 sed in ipsis quoque abiectionibus & labori-
 bus! admiranda est tua mansuetudo, admi-
 randa tua tolerantia, admirandum tuum si-
 lentium! admirandum certè fuit, quòd coram
 Caipha tacueris: sed multò est admirabilius,
 quòd coram Pilato nunc obmutescas, vbi ac-
 cusationes sunt grauiore, periculum grauius,
 iudexq; ipse propitius ad te audiendum. Ne-
 cessarium erat tale silentium, ut garrulitas

mea

d Isa. 9. 6.

mea castigaretur; & exemplum efficac ad
 cendum daretur, vt æquanimiter iniuriæ tole-
 rarentur. e *Pone Domine custodiam ori meo, &
 ostium circumstantiæ labii mei: non declinet
 cor meum in verba malitiæ ad excusandas
 niter excusationes in peccatis: Et ego Domini
 gratia tua adiutus: statuo sponere ori meo
 custodiam, cum constiterit peccator aduersum me,
 & obmutescere & me ipsum humiliare sicut
 etiam à bonis, quæ in mei defensionem adfer-
 re possem, sicut te video tacuisse, quæ potuis-
 ses ad tuam adferre.*

HINC discam, silentium aded rarum, atque
 hoc fuit, non posse reperiri nisi in iis, qui mo-
 rificatissimum habeant honoris & vitæ amo-
 rem: & qui eò peruenerint, vt neq; infamiam,
 neque ipsam mortem timeant ultra modum,
 eò quod omnia sua in prouidentiam diuinam
 coniecerint, vt supra est dictum. Eò respexisse
 videtur Spiritus sanctus, cum dixit: *g aurum
 tuum & argentum tuum conflagra, & verba tua
 facito stateram, & frenos ori tuo rectos: & no-
 tede, ne forte labaris in lingua. Quod est dicere,
 collige omnes virtutes morales, & simul cha-
 riteratem quæ per aurum exprimitur: & in-
 tellectuales simul cum prudentia, quæ argen-
 to significantur: omnes enim sunt necessaria,
 vt noueris benè loqui, & benè tacere, eò quod
 omnia vitia, velut agmine facto, conueniant
 ad confundendam & perturbandam linguam,
 ideoque necesse est, virtutes quoque omnes
 conuenire, vt illam contineant, & recte ficeant.*

Quare

Quare qui verbo & lingua hñō offendit DEVM h iacob 3.2
 in perfectus est vir.

MEDITATIO XXXIII.

DEDVCITVR CHRISTVS
 Dominus ad Herodem, & ab
 eo illusus remitti-
 tur.

PVNCTVM I.



ACERDOTES & a Phari- a Luc. 23.5.
 sai, inualescebant dicentes,
 commouet populum docens
 per vniuersam Iudaam, in-
 cipiens à Galilea v'que huc
 Pilatus autem audiens Ga-
 lileam, interrogauit si homo Galileus esset: Et
 vt cognouit, quod de Herodis potestate esset, re-
 misit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis
 erat illis diebus, vt Christi causam ille cogno-
 sceret.

PERPENDE, Christum Dominum I.
 nostrum, b qui (teste Sancto Petro) per b 18. 10.37
 transit per vniuersam Iudaam, incipiens à Ga-
 lilea, bene faciendo, & sanando omnes op-
 pressos à Diabolo, quoniam Deus erat in il-
 lo, eam nunc sustinere calumniam, quòd
 populum commoueat, peruersam illam do-

cens